



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

III. De mediis quibus hæc religio vtitur ad finem sibi præstitutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Societas per se & ex primaria institutione est religio clericorum, seu presbyterorum, ut à Conc. Trid. sess. 25. c. 16. & à Pio V. & Greg. XIII. nominata est, & in c. 5. explicabitur; quia nimirum actiones sacrae, quibus salus proximorum procuranda est, propriè sunt clericorum: religionis autem monachorum, etiam mendicantium, per se non postulant clericatum, ut n. præc. notauimus, licet illum admittant; signum ergo est, non ita per se intendere finem salutis animarum, sicut à Societate intenditur.

C A P V T III.

Quibus mediis utatur Societas IESV ad finem sibi praestitutum.

I. Quod hoc e. de mediis ad finem explicatur utatur.

Quoniam tota ratio huius instituti, in his ferè mediis posita sit, & ideo in discursu totius tractatus sigillatim, & ex professo sint exponenda, nihilominus operæpretium visum est illa hic summam colligere, quia neque utilitas, neque perfectio huius religionis, neque aliæ proprietates, quas de illa ostendere intendimus, intelligi poterunt, non habita prius aliqua saltem generali noticia talium mediorum. Ut enim religio aliqua perfecta sit, non satis est quod perfectissimum finem habeat, nisi etiam mediis utatur ad perfectam illius finis consequutionem accommodatis; sicut neque è conuerso ad perfectionem religionis satis est in optimis se exercere operibus, nisi illa sint proprio fini talis religionis accommodata. Denique finis & media adeò sunt inter se connexa, ut licet in generali constet ex dictis in precedenti capite, quem finem intendat Societas, non tamen satis explicari valeat, quam perfectè, & exactè finem illum intendat, nisi media, quibus ad illum consequendum utitur, considerentur.

II. Duplex genus mediis Societatis.

Quoniam ergo finis Societatis duas principales partes includit, quæ sunt perfectio propria, & proximorum; duplici etiam genere mediorum utitur. Vnum est eorum, quæ ad perfectionem propriam suorum subditorum ordinantur; aliud ea continet, quæ proximorum commodis inserviunt. Quia verò præced. cap. à num. 5. diximus ita Societatem intendere suorum sociorum perfectionem, ut totam illam quoad fieri possit perfectionem proximorum velit inseruare. Nam ut dixit Bonifacius Papa, in c. suis nonnullis. 16. quæst. 1. *quantio quisque est celsior. scilicet in virtute, & perfectione, tanto est in his potentior*: in his videlicet actionibus, quibus salus proximorum procuratur. ideo possunt non immeritò omnia media quibus Societas utitur, dici esse ordinata ad proximorum salutem. Tamen in hoc est diuersitas, quæ in idem ferè redit; nam quædam ordinantur immediatè ad propriam sociotum perfectionem, licet mediatè etiam referantur ad alios; alia verò proximè & immediatè versantur circa proximos ipsos, quanquam illa etiam in bonum ipsorum ministrorum redundant, ut superiori cap. etiam tactum est, num. 7. 8. & 10.

Quibus mediis Societas immediatè propriam sociorum perfectionem procurat?

III. Media pro consequenda pace.

Item pro consequenda.

In priori ordine numerari in primis possunt ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad perfectionem essentiali charitatis, sed hæc communia esse debent Christianis omnibus, continenturque sub obseruatione præceptorum omnium: & sub illo usu virtutum tam moralium, quam theologicalium, sine quo charitas obseruari non potest, de quibus mediis nihil hic in speciali dicere necesse est. Deinde numerari etiam hic possunt illa media, quæ ad perfectionem Franc. Suar. de statu relig. Tom. I V.

charitatis obtinendam omnibus religionibus communia sunt, qualia sunt præcipuè actus pertinentes ad tria vota essentialia: & ad internum Dei cultum, per orationes, meditationes, lectiones, & alia religionis opera. Item actus pertinentes ad corporis castigationem, & ad perfectam sui abnegationem, & mundi renunciationem. Omnis enim religio, ut perfecta sit, aliquid peculiare in his omnibus obseruare debet, ex vi sui instituti, præter id quod ex vi præceptorum necessarium est. Hæc autem omnia Societatem perfectam quadam ratione procurare circa suos subditos manifestum est. nam in primis tria substantialia vota religionis emittit. Et licet in modo vouendi in aliquibus membris suis aliquid singulare habeat, quatenus illa vota solennia non sunt, tamen infra lib. 3. ostendemus, hoc nihil eorum perfectioni obesse, quin potius multum proficere possit, quia quantum est ex parte ipsorum vouentium, sunt omnino perpetua, & æqualiter eos obligant: illa verò dependentia, quam semper à Societate habent, eos potius reddere potest, & debet in ipsorum votorum perfecta obseruatione sollicitos.

Aliunde verò ex parte materiæ exactam perfectionem in huiusmodi votis Societatis proficetur. Licet enim verum sit, votum castitatis ex parte materiæ non admittere diuersos gradus, ut S. Bonaventura in Summa in expositione regulæ cap. 1. circa finem dixit. Propter quod etiam Pater noster B. Ignatius 6. p. constit. cap. 1. §. 1. ait. *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quàm sit perfecte obseruanda, nempe nesciendo Anglicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostram munditiam*. In quibus verhis imitatus est sanctos Patres, qui virginitatem profitentes cum Angelis conferre solent, quos superiori tomo retulimus, tractando de voto simplici castitatis. Licet (inquam) hoc verum sit, nihilominus in modo, & perfectione obseruandi castitatem, gradus aliqui distingui possunt, ut videri potest apud Calsian. collat. 12. c. 7. Quos omnes, sine dubio, perfectio nostri instituti amplectitur, ut ex verbis Beati Ignatii patet manifestè. Possunt etiam (quod ad perfectionem magis necessarium est) distingui varia media, quibus & castitas custodiatur, & perfectio eius acquiratur. Et in his mirum in modum abundat, & excellit hoc institutum. Nam huc spectat summa superiorum vigilantia, & inferiorum charitas, ita ut ipsas etiam cogitationes statim manifestare, & communicare moneantur, ut libro 10. cap. 6. magis exponetur. Item huc maxime refertur custodia sensuum, vitare otium, cauere colloquia foeminarum, nisi cum magna circumspectione, necessitate, vel utilitate, sacramentorum poenitentia, & Eucharistia frequens usus, ac denique moderatio victus, ac vestitus, cum alijs quæ ad asperitatem corporis pertinent, iuxta vniuscuiusque proportionatam mensuram, ut inferius c. 9. fusiùs exponemus: ibique satisfaciemus nonnullis obiectionibus, quæ in hac parte nobis fieri solent. Solam aduerto inter hæc Notatio con-

IV. De perfectione castitatis in Societate obseruata.

tra accusantes Societatem nimis rigeris in quibusdam, & minimis in alijs.

In votis paupertatis, & obedientia possunt ex parte

V.

Hh 3 parte

De perso-
næ pau-
peratis So-
cietatis.

Parte materiæ esse gradus, in quibus non omnes religiones pares sunt, Societati verò nihil perfectionis in hac parte deest. Primum enim circa materiam paupertatis consideratur abrenuntiatio proprietatis, & incapacitatis dominij in particulari, quem gradum paupertatis amplectitur Societas in omnibus membris suis, sibi (vt sic dicam) vltimatè vnitis. Quod autem hoc ad tempus differat in Scholasticis, non minuit totius religionis perfectionem, vt per se notum est: neq; etiam perfectionem ipsorum Scholarum, vt ex dicendis constabit. Secundò pertinet ad materiam paupertatis carentia proprietatis, & dominij etiam in communi, de qua religio Minorum mirum in modum, ac meritò gloriatur: illam enim *arctissimam paupertatem* vocauit Gregor. IX. in cap. *nimis praua*. de excessibus prælat. vbi non solum Minoribus, sed etiam Prædicatoribus illam attribuit, quia iuxta primariam institutionem, vtique eam obseruare tenebantur, vt tomo præcedenti, disputando de religionib. mendicantium dictum est; de facto tamen ex religionib. monachorum mendicantium, sola religio S. Francisci in vniuersum hanc paupertatem proficitur, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de regular. Hoc autem paupertatis genus etiam Societas amplectitur in sua parte præcipua, ad quam reliquæ ordinantur, scilicet in Societate professæ, vt constat ex confirmationis Pauli III. Iulij III. & Greg. XIII. & ex 6. p. Constitutionum c. 2.

VI.
Quadam no-
tanda qua
maximè ar-
ctam Socie-
tatis pauper-
tatem ac-
commodant.
Primum.

In quo notari possunt aliqua singularia, & propria huius religionis, quæ perfectionem huius paupertatis augent. Primum quod ad maiorem eius firmitatem, & stabilitatem, non contentus B. Ignatius directo (vt sic dicam) voto seruandi hanc paupertatem, voluit professis etiam fieri aliud votum non permittendi, quantum in ipsis esset, mutationem fieri in Societate, in his quæ spectant ad paupertatis materiam, nisi per talem mutationem ipsa paupertas magis esset restringenda, cuius voti obligationem postea lib. 6. cap. 6. expendemus. Secundò non satis fuit eidem P. N. prohibere, ne domus professæ redditus habeant, sed etiam vetuit, ne Ecclesijs, Sacristiæ, aut fabricæ applicari possent, aut vlla alia ratione haberi, ita vt penes Societatem sit eorum dispensatio. Vnde nec anniuerfaria, nec capellaniæ habere possunt, quod Minoribus prohibitum non est: quod etiam vberiùs infrà lib. 4. cap. 4. declarabitur. Nec minuit hanc perfectionem, quod hæc paupertas in communi in collegijs, & domibus probationum non seruatur, tum quia spiritus, & perfectio totius religionis ex primaria eius parte, & ex fine, quò tendit consideranda est; tum etiam, quia domus professæ, nullo modo iuari possunt prouentibus Collegiorum, aut domorum probationis: & nõ tantum professi, sed omnes etiam coadiutores eorum tam spirituales, quam temporales cum ipsis degentes eandem paupertatē seruare debent, vt citato ca. 9. dicitur in n. 3. reliqui verò omnes, cum ad hunc perfectionis statum tendant, eodem paupertatis spiritu nutrirī debent. Tum denique, quia si in collegijs aliquid de hoc rigore remittitur, est propter altiorē finem, & rationem moraliter necessariam; ideoque simpliciter non diminuit perfectionē paupertatis, quæ nõ propter se, sed propter aliud appetenda est. Tertiò potest in paupertate considerari actualis vsus eius: & in hoc multa ponderari possunt in hoc instituto, quæ materiam huius voti magnopere amplificat. Quale est non posse admittere stipendium, vel elemosynam vllā, per quam actio aliqua, vel officij, quod circa proximum exercetur, compensari videatur. Itē non posse aliquid in particulari recipere ad proprium vsum, sed in omnibus, quæ ad victū, & vestimentum, ab his quæ in communi distribuuntur

pendere; ac propterea, nihil huiusmodi in particulari posse recipere, aut in proprijs cellis seruare, non solum, quia sine licentia Superioris hoc fieri non potest, quod ferè alijs religionibus commune est, sed etiam, quia talis licentia iuxta communem, & constantem vsum, & obseruantiam huius religionis, vel nunquam, vel rarissimè petenda est, aut offerenda. Quocirca si omnia sincere considerentur, exactè obseruatur illud Pauli, *Habentes alim. 4. & quibus regamur, hi consentiimus*. Nam licet in harum rerum vsu non seruetur maxima asperitas (quæ pars est non mediocris paupertatis) tamen iuxta finem intentum seruatur maxima moderatio, & quod caput est, huius vsus mensura, vel communis est, vel tota pendet ex alterius, sc. moderatioris, voluntate: & in his duobus consistit formalis perfectio huius vsus paupertatis, vt ex Basilio sermon. 1. de institut. monach. & ex regul. 41. ex fusius disputatis, & ex alijs facile intelligere licet. Atq; hæc nunc sufficiant de hoc medio paupertatis attigisse.

De obedientia, aliqua in præcedenti capite tractata sunt, quæ pro summaria enarratione, quam nunc facimus, possent sufficere, cum libro 4. a cap. 12. ex professo disputanda res sit. Non tamen omittam aduertere S. Bonauenturam in expositione regulæ cap. 2. iudicasse religionem suam ceteras in obedientia superare, eò quod aliæ limitat obedientiam promittant secundum regulam. Minores autem indefinitè in omnibus, quæ mala non sunt. Sic enim B. Franciscus in cap. 10. suæ regulæ inquit: *firmius præcipio eis, vt obediatis suis ministris in omnibus, quæ promissæ sunt Domino obferuare, & non sunt contraria anime, & regulæ nostræ*. Quod etiam sentit D. Bernardus in 3. p. operum sermon. de obedientia ar. 3. ad 2. argumentum, & author conformitatum p. 2. tra. 2. & latius Corduba in expositione regulæ circa d. c. 10. q. 2. Idem de religione sua asseruit Dionys. Carthus. opus. de prof. monach. ar. 2. vbi docet Carthusienfium religionē in obedientia ceteras omnes superare, quia absolutè, & non solum secundum regulam obedientiam proficitur. Ego verò à comparationibus abstinens, solum assero totam illam perfectionem, quæ ex amplitudine materiæ in obedientia voto reperiri potest, in Societate inueniri, & in ipso instituto à fundatore Ignatio formaliter exprimi. Nam in 3. p. Constit. cap. 1. §. 23. obedientia seruanda dicitur in omnibus rebus, vbi peccatum non cernitur, & 6. p. ca. 1. §. 1. in omnibus rebus dicitur, ad quas potest obedientia cum charitate extendere: & declaratur huiusmodi esse omnes, in quib. nullum manifestum est peccatum. Et vt perfectiori voluntate tota hæc materia suscipiatur, non in ea tantum generalitate ponitur, sed explicatur illis verbis, *licet difficultas, & secundum consilium repugnantia iubeat*. Modus etiam perfectissimus proponitur, dum dicitur. *Non solum in executione exteriori integre promptè fortiter, & cum humilitate debita, sed in considerationibus, & in murmurationibus obedientie: verum etiam consentur interiori signationem, & veram amissionem propria voluntatis, & iudici habere, &c.* Præterea iuxta varias constitutiones eiusdem instituti, & proprium huius religionis spiritum, & obseruantiam, est in hac religione maxima subordinatio inferiorum ad Superiores, & dependentia ab illis etiam in minimis, seruata proportionē. In primis in toto corpore respectu Generalis Præpositi, in quo maxima est potestas, & eius immediatior influxus, seu gubernatio, quam in vlla religione inueniatur, vt lib. 10. c. 4. constabit. Deinde in singulis personis cuiuscumque qualitatis, dignitatis, aut antiquitatis sint, respectu propinquorum superiorum. His accedit speciale votum obedientiæ, quod fit Summo Pontifici, de quo, & de eius speciali obligatione, & perfectione infrà lib. 6. c. 4. dicemus.

Præter

Quibus medijs Societas salutem proximorum procuret.

Superest dicendum de alio ordine mediorum, quæ circa proximum directe versantur, vel ad illi proximè referuntur, quæ varia sunt, & multiplicia. Partim enim in actione consistunt, partim in priuatione, partim verò in ipsomet modo, seu dispositione totius Societatis, & rationis viuendi illius. Nam inprimis ex illo fine iuuandi proximos ortum est, vt hæc religio, & habitu, & munere clericorum instituta sit, vt in ca. 5. declarabimus. Vnde hoc potest constitui tanquam primum medium, scilicet, assumptio status clericalis, quo possint proximis inferuire, & consequenter omnis dispositio, quæ ad talem statum digne assumendum necessaria est, maximè in his hominibus qui perfectionis viam proficuntur. Secundo inter hæc media numeranda sunt omnia ministeria sacra, quæ ad purgandos, illuminandos, & perficiendos alios vtilia sunt, inter quæ primarium locum tenet sacramentorum administratio, præsertim confessionis, & Eucharistiæ, quæ huius instituti maximè propria est, vt ex bullis Pauli III. & Iulij III. & Greg. XIII. & ex forma instituti, quæ in eis refertur, & ex omnibus constitutionibus satis notum est. Et huc etiam spectat sacrificiis suis Ecclesiam iuuare pro conuersione infidelium, correctione hæreticorum, & fructu, ac profectu ipsorum fidelium ea frequenter offerendo. Tertiò principaliter etiam ad hoc genus mediorum spectat quodcunque ministerium verbi Dei, quod variis modis, & magna ex parte, propriis, in hac religione exercetur. Primò per publicas conciones, vel lectiones sacras ad populum: secundò rudimenta fidei pueris, & rudioribus hominibus tradendo, qua occasione ad communis vulgi vtilitatem diuini verbum non tantum in Ecclesiis, sed etiam in vicis, & plateis publicè diffeminant. Tertiò priuatis colloquiis & sanctis conuersationibus proximis iuuando, nunc eorum vitia fraterne corrigendo, nunc ad virtutum opera, & sacramentorum frequentiam eos exhortando, nunc verò etiam in operibus perfectionis eos instruendo, vel excitando. Quartò his adiungitur spiritualium exercitiorum communicatio, & vsus, quo homines, & vitam in melius mutare, & se ipsos cognoscere incipiunt, & de rebus æternis seriò cogitare, ac negotium propriæ salutis cum Deo tractare, & ab ipso postulare, addiscunt. Quintò annumerari possunt congregationes cuiuscunque status virorum sub regimine Societatis creatæ, ac Pontificum indultis munitæ, vbi plerisque modis familiaris ad æternam salutem promouentur. Sextò, huc etiam spectat tempore mortis iuuare proximis ad pie, sancteque moriendum. Atque hæc ferè media sunt, quæ circa fideles ipsos exercentur, quæque lib. 9. figillatim traduntur. Septimò hic adiungi possunt omnia illa, quæ ad conuersionem infidelium quorumcunque in Societate assumuntur, siue inter Gentiles, siue inter hæreticos. Quò præcipuè spectat quartum solenne votum obediendi Summo Pontifici in missionibus, etiam difficillimis, & ad quascunque orbis partes, etiam remotissimas, & inter barbaras nationes, etiam sine viatico peregrinando ex elemosynis si necesse sit, nullum aliud emolumentum, nisi salutem animarum inde expectando.

Post hæc media, quæ propinquissima sunt, & maximè spiritualia, adiunguntur illa, quæ præparant socios ad huiusmodi actiones erga proximis. Et quoniam hæc præparatio in duobus consistit, in vita scilicet, & doctrina, iuxta illud Pauli 1. ad Timot. 4. Attende tibi, & d. doctrinæ, & illa quæ ad vitam pertinent, eadem sunt cū his, quæ ad propriam perfectionem

Hh 4 nera

VIII. Præter hæc quæ sunt veluti fundamenta religionis, sunt quæ plurima alia media ad propriam perfectionem sociorum ordinata, quæ nunc summam ad duo capita reuocamus, quæ postea lib. 8. fusius expendemus. Vnum est eorum, quæ pertinent ad internam animi deuotionem, & puritatem assequendam, quæ sunt præcipuè, quæ ordinantur ad familiaritatem, & vnionem cum Deo consequendam, & ita ex eis pendet fons, & origo totius spiritualis incrementi, in quo ipsa perfectio substantialiter consistit. Ad hunc ergo ordinem spectat quotidiana lectio, & meditatio, oratio, & contemplatio. Item quotidiana, vel potius bis in die repetita conscientiæ examinatio, cum frequenti, & valde circumspecto confessionis vsu, iuxta ea, quæ traduntur in examine c. 4. §. 25. & 3. p. Constit. c. 1. §. 11. Atque ad hunc finem ordinatur accurata institutio de rebus spiritualibus, & frequens de his rebus consultatio, & propriæ conscientiæ communicatio, tam cum superioribus, quam cum aliis Præfectis, quibus hæc cura demandata est. Præterea ad eundem finem iuuantur proprio, ac peculiari exercitiorum spiritualium vsus, quo non solum in ipso ingressu, sed perpetuo per singulos annos, vt lib. illo 8. cap. 1. in fine adducemus, exercentur. Denique frequentes exhortationes spirituales, & familiaria de rebus diuinis colloquia, quæ iuxta sui instituti rationem inter socios esse debent, ad eundem finem ordinantur.

IX. Aliud caput continet media omnia, quæ ad veram sui abnegationem, & affectus mortificationem adhibentur. Nam statim in principio, in ipso examine admonentur, mundo, ac proprio amori mortuos, soli Christo Domino viuere debere, & hanc abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem quoad fieri possit, esse ab eis querendam. Et 3. p. Constit. cap. 1. magnopere conferre dicitur, vt ea munera obeant, in quibus maxime humilitas, & charitas exercentur. Item vt diligentissimè curent portarum suorum sensuum custodire. Maximè verò curat Societas, & honorum, ac dignitatum ambitioni viam præcludere, & ideo profelsi Societatis peculiari voto obligantur extra Societatem eas non acceptare, nisi in conscientia ab eo qui potest obligentur, intra Societatem verò nec directè, nec indirectè eas procurare, vt lib. 6. à c. 7. tractabitur. Et obeandem causam ad tollendam omnem occasionem, superiorum electiones, præterquam solius Generalis (hæc enim vitari non potuit) sublata sunt, sed eorum distributio ipsi Generali est commissæ, de quo in lib. 10. agendum. Denique ex hac renuntiatione, & propria abnegatione mira sequitur pax, & animorum vnio, ac fraterna charitas, quam totis viribus inter suos procurat Societas, & in ea magnam partem suæ perfectionis ponit, vnde P. N. Ignatius in procemio Constitutionum, in hac constituit totam vim, & efficaciam suarum legum, seu constitutionum. & id eo 3. p. c. 1. §. 21. illa duo simul coniungit dicens. De vi crebro tractantes, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus perfectum, & omnimodam perfectionem attingunt, ad ea se inuicem exhortando, & præcipuè vnionem, & charitatem fraternam. Et statim §. 22. humilitatem, & charitatem iterum coniungit, & ibidem, & aliis locis varia media ad hanc animorum pacem, & vnionem tradit, quæ Societas diligenter obseruat, quæ ex discursu huius operis latius constabunt, nunc enim ad compendiosam instituti propositionem quam hic intendimus, hæc, quoad hanc partem sufficiunt.

X. De medijs per relationem extrinsecam spiritualibus.

XI. De medijs per relationem extrinsecam spiritualibus quorum vnus est iterarius studium.

nem ordinantur, solum hic supersunt ea, quæ ad studia literarum, & doctrinam comparandam, vel tradendam assumuntur. Nam cum studia literarum per se, non videantur quicquam referre ad spirituales animæ, & charitatis perfectionem; nam potius scientia vtiat, charitas autem adificat, vt ait Paul. 1. ad Corinth. 8. ideo aliquibus visum est statui religioso non conuenire, cum hic status ad perfectionem charitatis ordinetur. Contra quos scripsit D. Thom. art. 5. q. 188. 2. 2. Vbi inquit an sit instituenda aliqua religio ad studendum? Et respondet studium literarum omnibus religionibus etiam puram contemplationem profitentibus esse vtile; religioni verò, quæ ad salutem proximorum procurandam ordinatur, esse necessarium, iuxta illud ad Titum 1. *Amplēctentem cum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina iustitiae, & eos qui contradicunt arguere.* Cum ergo ostensum sit, Societatem principaliter ordinari ad proximos iuuandos, recte concluditur studia literarum esse illi maxime necessaria. Quod etiam docuit P. N. B. Ignatius in 4. p. Confit. à principio, & per totam illam mirabili prouidentia, & prudentia omnia disponit, quæ ad hæc media literarum pertinent. Ex quibus quædam pertinent ad disciplinam literariam, vt sic dicam; alia verò ad doctrinam. Nam prius necessarium est, eos qui futuri sunt Societatis operarij, literis ad discendum vacare; quia rari vel nulli sunt, qui sufficienter instructi, & docti à principio recipiantur; necesse est ergo vt in ipsa religione, per quod non impeditur perfectionis propriæ progressus, cum actio illa ex se valde honesta sit, & ex obedientia sumpta, & desiderio iuuandi proximis, opus sit insignis charitatis scientia autem, quæ hoc modo acquiritur, non inflat, sed cum charitate adificat, & concordiam parit, vt recte D. Thom. dixit dicto art. 5. ad 2. & latius declarauit opusc. 19. cap. 11. Quæ verò studia religiosos deceant, non est hoc loco ex professo declarandum, sed sufficit dicere, per se quidem ac directè studia sacrarum literarum ad eos pertinere, vt docuit D. Hieronym. epist. 4. ad Rusticum, sub illis tamen comprehendit vniuersam theologicam doctrinam, & Sanctorum Patrum, Pontificum, ac Conciliorum decreta, ac sententias; nam in his tota sacra doctrina, vel explicatur, vel continetur. Secundario verò, seu ministerialiter etiam philosophica doctrina, & humaniores literæ religiosis necessariae sunt, his præsertim qui cum hæreticis sunt dimicaturi, parati, ac dispositi esse debent ad doctrinam hanc disseminandam per vniuersum orbem. Quam verò exacte, sapienter, & moderatè hæc omnia in Societate ordinata sint, postea toto lib. 5. in particulari videbimus. Post disciplinam rectè subsequitur doctrina, cum hic sit finis eius, vnde in hoc etiam genere actionis nihil Societas omittit, quod quoquo modo iuuare proximum possit. Nam (vt omittamus prædicationem verbi Dei, quæ magis ad affectum, quàm ad intellectum ordinatur, & ideo superius num. præced. de illa dictum est) occupatur Societas in docendis proximis, primò in Scholis legendo publicè, Scripturam sacram, & theologiam Scholasticam; quod munus meritò à religiosis vsurpari, latè defendit D. Thom. opusc. 29. cap. 2. Deinde casus etiam conscientie docendo, & vbi necesse est, controuersias etiam fidei agitando. Hinc vltèrius ad liberales quoque artes docendas descendit, neque in his tantum sistit, sed linguarum etiam peritiam, imò & ipsius Latinæ linguæ prima rudimenta tradit; nam per hæc initia, ad maiora perueniendum existimat, nec parua reputat, sine quibus magna non constant. Denique, tam per priuata consilia, quàm per generalem doctrinam, quæ verbo, quæ libris editis traditam, omnes omnibus modis iuuare studet; nihil a-

liud (in hoc enim harum actionum perfectio posita est) quàm eorum qui docentur bonum intendendo, & maiorem Dei gloriam inde sperando, vt in suis Constitutionibus B. P. N. Ignatius frequenter reperitur.

Ex his verò sequitur diuersitas graduum, & personarum, quæ in toto corpore Societatis cernitur, & inter media ordinata ad salutem meritò numerari potest. Nam ex hoc fine, & ex actionibus, ac ministerijs proximè numeratis orta est. Vt enim nouitios omittamus, qui omnibus religionibus communes sunt, quamuis in Societate aliquid speciale habeant infra lib. 2. cap. 5. explicandum; post sufficientem probationem, & moralem, ac spirituales instructionem admittuntur nouitij ad primum Societatis gradum qui *scholarum approbatorum* appellatur, in quo membra Societatis verè efficiuntur, etique per tria substantialia vota religionis incorporantur. Quia verò tunc regulariter, ac per se loquendo, nec ad statum clericalem, nec ad sacra ministeria erga proximos exercenda sufficientiam habent, aut preparati sunt, proximè in hunc finem admittuntur, vt ad eum statum, & ad alias actiones per studia literarum, & virtutum progressum disponantur, & ideo nec per vota propria clericorum, neque etiam per solennia, & omnino absoluta ex parte Societatis, admittuntur. Nam quo finis, & actiones propriæ Societatis perfectiores sunt, eo magis probati, & perfecti esse debent, qui ad eas simpliciter, ac solenniter admittuntur. Ita ergo primus gradus membrorum Societatis, in quo Scholastici approbati existunt, constituitur. Postquam verò huiusmodi Scholastici, & sufficienter probati, & in literis instructi sunt, & per sufficientem experientiam apti, & idonei inueniuntur ad exercenda ministeria circa proximos suprà declarata, & præsertim ad eas missiones, ad quas pro salute animarum à Pontifice mitti possunt: iam tunc presbyteri ordinati in vltimum gradum per veram professionem ad quatuor vota solennia, quibus alia simplicia adiuncta sunt, vt lib. 6. à cap. 6. videbimus, à Societate admittuntur. Quoniam verò prædicta Societatis ministeria multa dona, & nature, & gratiæ requirunt, quæ non in omnibus, sed fortasse in paucis inueniuntur; ideo necesse fuit aliquos etiam sacerdotes post studia literarum, & sufficientem de illis experimentum in Societate intimius, quàm scholares ipsos admitti, vt iuxta suum captum in spiritualibus ministerijs profectus iuuare possint, qui propterea *Coadiutores* spirituales appellantur, qui quantum votum obediendi Pontifici in missionibus non emittunt, quia non supponuntur habere sufficientiam ad omnia ministeria, quæ ex vi illius voti comprehenduntur. Neque etiam regulariter faciunt solennem professionem, vt debitus ordo, & subordinatio melius conferretur, & propter alias graues causas in lib. 7. c. 1. tractandas. Dixi autem regulariter, quia interdum admittuntur aliqui ad professionem cum tribus tantum votis solennibus, & substantialibus religioso statui, quod tamen non fit, vt dicemus ibidem, nisi per modum dispensationis, propter speciales rationes, & graues causas occurrentes. Tandem, quia vt in simili dicitur Actor. 6. *aquum non est derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* ita etiam spirituales operarij Societatis, vel qui studiis vacaturi erant, non poterant simul sine magno impedimento, corporalia ministeria sustinere, ideo necessarium fuit poralia alium in ea instituire, ad quem illi, quicquid gradum alium in ea instituire, ad quem illi, quos adiutores temporales vocantur, admitterentur, quos oportuit esse veros religiosos, & per substantialia vota Societati coniunctos, vt cum maiori decencia, religione, & charitate talia ministeria fiant. Horum autem religiosorum statui, ac muneris, non erat proportionatum quartum illud votum obediendi Pontifici.

Vide in to. de
Censur. dif.
23 scilicet 3. a
n. 19.

tifici; quia ministeria, ad quæ ordinantur illæ missiones, ad tales personas non pertinent: admittuntur ergo ad tria vota non solennia, sed simplicia, sicut de coadiutoribus spiritualibus, & scholasticis approbatus dictum est. De quibus omnibus gradibus inferius sigillatim est dicendum, ad lib. 3. vique ad 6. Nunc enim solum propositi sunt, ut generalis quædam notitia totius Societatis habeatur; & quia tota hæc structura, & fabrica ad prædictum finem ordinata est, illique valde proportionata existit, ac propterea à Summis Pontificibus, præsertim à Gregor. XIII. in constitutione, *Ascendente Domino* probata, & laudata est.

tem causæ in ea fundanda considerari possunt, scilicet, prima, & principalis, quæ est Deus, proxima, & ministerialis, quæ fuit priuatus homo, quem Deus ad hoc mirabile opus excogitandum illuminauit, & exequendum impulit, & animauit. Tertia est Apostolica sedes, quæ Dei nomine, ut vicem Christi gerens in terris, religionem hanc sua auctoritate suscepit, & confirmauit, & de singulis pauca dicenda sunt.

De institutore Societatis, eiusque institutionis convenientia.

II.

Ut ergo à notioribus nobis incipiamus, perspicuum est omnibus, religionem hanc institutam esse ab Ignatio Loyola, de cuius sanctitate, doctrina, & nobilitate hic non dicam, quia ea magis ad historiam, quam ad disputationem Scholasticam pertinent, satisq; eruditè, ac copiosè descripta sunt à familiari eius filio, grauique Patre nostro Petro de Ribadeneira, & postea à Petro Maphæo, ac nouissime à Patre Nicolao Orlandino i. p. historiarum Societatis, ut in ore dicitur: *vel trium sit omne verbum.* Nobis ergo sufficiant nunc testimonia, quæ Pontifices Summi, non solum de Ignatio, sed etiam de sociorum eius pietate, & doctrina, & de irreprehensibili vita, nobis reliquerunt. Nam Paulus III. in prima bulla confirmationis instituti de Ignatio, & sociis ita loquitur: *In theologicis studiis per plures annos exercitatis Spiritu sancto (ut creditur) pie afflatis amandum, & diuersis mundi regionibus discendentes in vnum conuenerunt, & socij. Ibi ad dicendum huius seculi illecebras, eorum vitam perperam D. N. Iesu Christi, atque nostro, & aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum seruitio dedicauerunt, & iam quàm pluribus annis laudabiliter in via Domini se exercuerunt, &c. Quæ iterum repetit in initio bullæ secundæ ampliacionis prædictæ confirmationis; & inferius subdit. Nos igitur ad eorundem Ignatii Præpositi, & sociorum piam vitam, & bonorum operum exemplum attendentes, eorum piæ desiderij annuentes, &c. Et in bulla 3. in qua varias facultates concedit, Attendentes (inquit) ad fructus vberes, quos in domo Domini hæcenus produxerunt, & produci non desinunt, vestra religione, integritate, sinceritate, doctrina, moribus, & experientia plurimum in Domino confidentes, vobis, &c. Similia leguntur in bulla Iulij III. de confirmatione eiusdem instituti, & in fine eius specialiter addit Pontifex. Considerantes, nihil, quod pius, sanctumque non sit, in sancta Societate, eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatii, & aliorum sociorum vitam, & moribus reperiri, &c. Vbi expendo idem testimonium ferre Pontificem de sanctitate vitæ Ignatii, & sociorum, ac de ipso instituto, quod sua auctoritate approbavit. Quæ testimonia sequentes Pontifices etiam post felicem B. Ignatii mortem sæpius comprobauerunt, ut ex cæteris bullis constat, & specialiter Greg. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius* bene memoria Ignatium Loyolam Societatis institutorem appellauit. Ac nouissime Paulus V. vniuersæ Societati publico Confessoris non Pontificis cultu, & rituque venerandum proposuit. Itaque de sanctitate fundatoris huius religionis impie nunc dubitaretur, & speramus fore ut per expressam Pontificis canonizationem vniuersæ Ecclesiæ proponatur.*

Pontificum testimonia de Ignatio & sociorum eius sanctitate, & doctrina.

Sperin hanc Societatem publico Confessoris non Pontificis cultu, & rituque venerandum proposuit. Greg. XV. 12. Maij 1622. & Paulus V. 1621.

III.

Religionem hanc conuenientissimo tempore in qua diu, ac diligenter se exercuit, & alios exemplo suo, & familiari sermone ad idem vitam genus sibi adiunxit, & post multos labores pro animarum salute susceptos tandem anno 1538. Romæ cum sociis suis de fundanda Societate deliberauit, & se-

XIII.

De medijs priuatis ad causam salutem pertinentibus.

Vltimò quoniam in numer. 10. diximus, hæc media non tantum positiua, sed etiam priuatiua esse, & priora insinuat sunt, oportet posteriora breuiter recensere. In hoc igitur ordine in primis pono, non habere vsum chori, quanquam enim hæc actio valde religiosa sit, & ideo ab alijs religionibus obseruata, tamen quia nimium religiosus Societatis impediret, vel ab studiis dum eis vacant, vel ab actionibus, & ministeriis circa proximum, ad quæ post studia destinandi sunt, & præsertim, quia parati esse debent ad varias missiones, & ad discurrendum per vniuersum orbem; ideo Pater noster Ignatius Societatem voluit esse hæc occupatione liberam. Et quamuis id multi in Societate notauerint, ac reprehenderint, in cap. 8. ostendimus illos nulla ratione sufficienti motos esse, sed hoc potius fuisse, & Patrum sententiam, & rationi etiam valde consentaneum. Et ad hoc medium reuocantur omnes similes actiones, à quibus Societas, etiam ex Pontificum auctoritate eximitur, ut sunt processiones publicæ, & similes, quæ cum cantu, & choro coniunctæ sunt. Aliud medium priuatiuum numerari potest, abstinere à suscipienda cura monialium, ut lib. 9. cap. 8. numer. 15. iterum dicemus, quamuis enim huius rei plures alie rationes reddi possint, hanc tamen existimo esse præcipuam, quia iudicatum est à B. Ignatio in p. 6. Constat. cap. 3. §. 7. ita expedire, ut socij expeditiores essent ad finem illum, quem præcipue intendunt. Potest etiam inter hæc media poni, non accepisse singularem habitum, sed communem clericorum honestè viuendum, iuxta morem regionis, in qua socij versantur; nam hoc etiam ad hunc finem ordinatum est, ut facilius pateret aditus ad omnes proximos, siue hæreticos, siue fideles, &c. Et eadem ratione posset hic numerari communis, & vulgaris victus, & moderatio à nimia vitæ austeritate in his, quæ ad corpus pertinent, quorum ratio in progressu huius libri copiosius expendenda est, & ideo de his medijs hæc delibasse sufficiat.

C A P V T IV.

Utrum Societas religio conuenienter instituta, & approbata fuerit.

I.

De causis, quæ sunt finalis Societatis, & eiusdem generis, & de eiusdem officio.

Hæcenus ferè nomen solum Societatis, & quid eo nomine significetur, à nobis explicatum est, ostendimusque Societatem I. E. S. V. nomine significari quandam religiosorum hominum congregationem, ad finem salutis animarum, cum talibus medijs, talique viuendi ratione institutam: nunc ex eodem fine, & medijs distinctius declarandum est, quid, & qualis sit hæc religio. Quoniam verò questio quid est, supponit questionem an est, prius de hac questione aliquid dicere oporteret, nisi religionem hanc dari in Ecclesia satis iam per se esset notum: solum ergo superest, ut de origine & institutione eius, atque adeo de illius approbatione dicamus, atque ita fiet, ut post causam finalem efficietres causas huius religionis declaremus. Tres au-